



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 31. Aliæ ejusdem propositiones a Facultate Theologica damnatæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

§. XXXI.

Sæcul. XV.  
A.C. 1486.

*Alicæ ejusdem propositiones a Facultate  
Theologica damnatæ.*

Propositio I. „ Dei atque Apostolorum *Argentre ib.*  
 „ præcepta observare teneris: Man- *Ex primo*  
 „ data autem omnium Episcoporum, ac *registro MS.*  
 „ ceterorum Ecclesiæ Prælatorum non *cenfurarum*  
 „ magis quam stipulam curabis; hi e- *S. facultatis*  
 „ nim omnes suis deliramentis Ecclesiam *Paris. fol.*  
 „ destruxerunt. „ *Prima propositio, e III.*  
 „ nunciat S. Facultas, est vera; *secunda pars*  
 „ est scandalosa, schismatica, bonis moribus, &  
 „ doctrinæ Evangelicæ & Apostolicæ contra-  
 „ ria, hæretica, publice revocanda, & repa-  
 „ randa.

„ II. Nonnulli quosdam velut San-  
 „ ctos deprædicant, quasi in loco essent,  
 „ a quo Lucifer depulsus est, ejusmodi  
 „ Prædicatores omnia destruunt, & ab  
 „ illo tempore, quo invaluerunt, nun-  
 „ quam Ecclesia Dei rebus secundis ute-  
 „ tur. Hi eo rem deduxerunt, ut ar-  
 „ gumento rite discussio deprendi pos-  
 „ sit, quod ille, quem pro Sancto ven-  
 „ ditant, non sit in eo loco, ubi olim Lu-  
 „ cifer erat, sed in illo, ubi modo Luci-  
 „ fer habitat: proin sicut Pluto infero-  
 „ rum Deus Proserpinam in suis, ita Lu-  
 „ cifer ejusmodi animam in suis brachiis  
 „ teneat. „

S 4

Docto-

Sæcul. XV.  
A.C. 1486.

Doctores hanc propositionem censura virgula notantes asserunt; *Secunda pars quantum ad sensum, quem præten- dit, est falsa, injuriosa, seditiosa, status Sancto- rum detractoria, errori damnato favens, & publice revocanda.*

„ III. Sancti divites nunc canoni-  
„ zati, & sancti pauperes nunc neglecti  
„ sunt, ideoque ejusmodi Sanctos esse  
„ credere haud teneor, cujus ratio est,  
„ quia si Pontifici pecunia detur, tunc  
„ viginti omnino peggmata Romæ con-  
„ scendens talem Sanctorum fastis ac-  
„ censet; propterea hunc Sanctum esse  
„ credere non obligor, & qui id non cre-  
„ dunt, nec male faciunt. „ Hanc pro-  
„ positionem declarabant *esse falsam, &*  
„ *piarum aurium offensivam, Sanctæ Sedi A-*  
„ *postolicæ injuriosam, pietati fidelium devo-*  
„ *gantem, tertiam vero ejus partem quantum*  
„ *ad sensum, quem præten- dit, hæreticam esse.*

„ IV. Si quis Presbyter clam ma-  
„ trimonium contraxisset, & apud me  
„ sua peccata deponeret, non illi poeni-  
„ tentiam injungerem. „ *Hæc proposi-*  
„ *tio, inquit Censores, non solum impli-*  
„ *cat falsum sensum, quod Sacerdotes post*  
„ *susceptos sacros Ordines possint contrahere*  
„ *matrimonium, sed etiam est temerarie asser-*  
„ *ta, scandalosa, & quoad sensum, quem præ-*  
„ *tendit declaratum per propositionem imme-*  
„ *diatè sequentem, de hæresi suspecta.*

„ V. Pres-

„ V. Presbyteri Ecclesiae Orientalis <sup>saecul. XV.</sup>  
 „ matrimonium ineundo non peccant, A. C. 1486.  
 „ nec nos, si connubio jungeremur, in  
 „ Ecclesia Occidentali peccaturos credo.,  
*Prima pars in sensu, quem facit, scilicet*  
*quod Sacerdotes Orientales post consecutio-*  
*nem sacri Ordinis contrahant matrimonium,*  
*falsa est. Secunda pars, quae est suae fidei*  
*confessio, reddit eum erroneum, & si addatur*  
*perinacia, haereticum facit.*

„ VI. Quadringentis abhinc annis a  
 „ quodam Papa aut Papilione Sacerdoti-  
 „ bus conjugium fuit interdictum, an  
 „ jure id facere potuerit, nescio., *Hæc*  
*propositio, si intelligatur, sicut videtur so-*  
*nare, quod post susceptionem Ordinis ante*  
*illud tempus licebat Sacerdotibus matrimo-*  
*nio jungi, falsa est, & quantum ad ista ver-*  
*ba, a quodam Papa, aut Papilione, ir-*  
*risoria, dignitatem atque auctoritatem sum-*  
*mi Pontificis & Ecclesiae in contemptum*  
*adducens. Secunda pars derogat auctori-*  
*tati Sanctae Sedis Apostolicae, & Concilii*  
*Generalis, & male sonat in Fide, publice*  
*revocanda.*

„ VII. Duos aureos illi dabo, qui mi-  
 „ hi unico S. Scripturae textu quadra-  
 „ gesimale jejunium comprobare pote-  
 „ rit., *Hæc propositio supponere vide-*  
*tur, quod ad nihil obligemur, nisi quod est*  
*in Scriptura sacra expresse contentum, &*  
*si ita intelligatur, haeretica est. Quantum*

Sæcul. XV. A.C. 1486. vero ad illud, quod præten-  
dit propositio, scilicet, quæd non simus obligati ad quadra-  
gesimale jejunium, falsa est, bonis moribus  
contraria, & scandalosa, & Sacrosanctæ  
universalis Ecclesiæ consuetudini, & Sancto-  
rum determinationi derogans.

„ VIII. A beato Silvestro citra Ro-  
manam Ecclesiam non est amplius  
Ecclesia Christi, sed Cæsaris & pecu-  
niarum. „ Hæc propositio est Ecclesiæ,  
& sanctæ Sedi Apostolicæ injuriosa, blas-  
phema, & hæretica, jamque damnata.

„ IX. Haud magis Sanctorum Hi-  
storiis quam Franciæ Regum chronicis  
fidem adhibere tenemur. „ Hæc pro-  
positio falsa est, piarum aurium offensiva,  
& auctoritati Ecclesiæ derogans; & si in-  
telligatur universaliter, est hæretica. Præ-  
cedens qualificatio fuit facta per aliam Fa-  
cultatem Theologiæ Parisiensis in sua sole-  
nni Congregatione apud S. Mathurinum,  
Anno Domini millesimo quadringentesimo o-  
ctogesimo sexto die quinta mensis Junii.

## §. XXXII.

*Alia Laillierii propositio ab eadem  
Facultate censuris notata.*

*Argente ib. p. 309.* Ultra præcedentes propositiones præ-  
dicta Facultas aliam damnavit pro-  
positio-